

Disputatio Juridica

De

Natura Jurispru-
dentiaë, Ejusdem fine, obiecto,
& mediis,

Quam

Præstite Triuno D E O

Approbante Nobilissimo Jctorum Ordine

in Alma Leucorea

SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Amplissimi, Consultissimi

Atq; Excellentissimi

DN. AUGUSTINI STRAUCHII,

J. U. D. & Prof. Publ. celeberrimi, Supremi Appella-

tionum Judicii Dresdensis, Viduæq; Anhaltinæ Consilarii,

Provincialis Curiaë & Consistorii Ecclesiastici, nec non Scabi-

natus Electoralis Saxon. juxta & Facultatis Juridicaë

Assessoris gravissimi,

Dn. Patroni, promotoris & Præceptoris sui omni obser-

vantia, Amoris & Honoris cultu devenerandi placide

Eruditorum disquisitioni sistit

SIGISMUNDUS Nichter/Radebergâ Misnicus, Author.

Inacroaterio Jctorum. ad d. Maji horis matut.

WITTEBERGÆ,

Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIUM,

ANNO clæ lxx LII.

1024

1652 M

15

17

3

e7



15201

Discretio Juridica

Natura Juris

deontia, Eiusdem sine obiecto

& modis

Praxis Tomo D E O

Approbante Nobilissimo Germano Ordine

et Alia

et Alia

et Alia

et Alia

DR. AUGUSTINI STRAUSS

Mag. et Prof. publ. celeberrimi, superni Appella-

tionis Praesidentis, et in Universitate Consiliarii

et officialis Curiae de Consilio ecclesiastici, nec non scabi-

latus Electoris et non parva & facultatis Juridicae

Allegatus

Dr. F. Thron, Praepositi & Praepositi sui summi obse-

rii, et in Universitate Consiliarii

et Alia

SI MINDUS

et Alia

et Alia

1716

DEUS OPTIMUS MAXIMUS

ΣΥΝ ΘΕΩ.



DEUS ter optimus maximus Sa-

pientissimus & gloriosissimus pulcherrimi hu-
 jus Universi Structor & Fabricator Unicuiq;
 rei creatæ, ne quid facili & spontaneo motu
 ad interitum festinaret, conservandi sui desi-
 derium, juxta & facultatem indidit. Quippe
 simul atq; natum est animal, ipsum sibi conciliatur & commen-
 datur ad se conservandum. *Hugo Grotius doctiss. tr. de jur. bell. &*
pac. c. 2. n. 1. arceatq; ea, quæ Naturæ suæ interitum minari vi-
 dentur. Hanc facultatem ut homines omnium animantium
 facile principes tanto felicius exequi possent, superaddidit illis
 instinctum ad vivendum in societate civili, in qua adunati mu-
 tuo officiorum commercio juventur, & hoc ipso vita nostra ad
 omnem fortunæ casum instructior, contra subitas hostium in-
 cursiones, belluarumq; insultus munitior sit. Fac enim nos sin-
 gulos, *inquit Seneca lib. 4. de benef. c. 18.* quid sumus? Præda a-
 nimalium & victima ac vilissimus & facillimus sanguis. Quæ-
 cunq; vaga nascuntur actura vitam segregem, armata sunt; ho-
 minem imbecillitas cingit. Non ungvium Vis non dentium,
 terribilem cæteris fecit. Ideoq; voluit Naturæ Auctor nos sin-
 gulos esse, & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes,
 quo magis ad colendam societatem raperemur. *Grotius in pro-*
legem. ad d. tract. & in universum benè, tranquille, & feliciter vi-
 vere possemus. Hic est finis ultimus, cujusq; civitatis. Et ea de-
 mum Societas civiliter beata erit, si omnia societatis membra
 ad hanc metam suavi animorum concentu conspirent.

§. 2. Postquam a. genus humanum à primogenita Justitia, quâ
 id DEUS exornaverat, ut ad regulam divinæ mentis congrue-
 ret, diro horribiliq; lapsu defecit, deplorandam affectuum inor-
 dinationem sibi attraxit, adeo ut quislibet effreni mentis impo-
 tentia agitatus in malum magis, quàm in bonum pronus sit.
 Aliena invadere habendi cupid. ne prurire, & ut paucis multa

A 2

com-

67



Wap.

complectar, proximum lædere & defraudare ab ingenio humano nihil alienum est. Quo ipso fixa & stabilis Societatis aliqua compages speranda haud erat. Ne autem Societas civilis sine suo defraudetur, sed his malis obvietur necesse est, ut sit Summa aliqua potestas in civitate, quæ velut vitalis Spiritus [ut Seneca loquitur] quem tot millia trahunt, informem multitudinem imperio atq; vi majore regeret, pravas lubentias cohiberet, cupiditates temerarias refrenaret, ut mutus ordo, jubendi parendiq; relatio resultaret. In quâ formam Civitatis essentialem consistere nullum est dubium.

§. 3. Hæc Summa potestas in Civitate utiq; non est ociosa, sed est ipsum agendi principium sese, quoties opus est, exserens, instructa prudentiâ architectonicâ toti communitati præscribens certas leges ad quas omnes actiones suas, omnia societatis membra tanquam ad fixam mensuram, certasq; regulas conforment, ut quilibet intelligere possit, quid pro officii & conditionis suæ ratione facere æquum sit & postmodum ipsa æquitas & concordia inter Socios conservetur & optata beatitudo obtineatur.

§. 4. Leges sunt, quæ vicem mediorum præstant, per quas Majestas civilem beatitudinem in Civitatem introducere adspirat. Quæ cum ferendæ sint circa actiones humanas, hæc autem ipsæ sint multi formes & pro casuum varietate infinitæ, fieri non potest, ut Legislator omnia legibus suis comprehendere possit. *Sub. Diff. 1. §. 15.* opus habet generaliter & finitè loqui intentionem suam dirigens in id, quod plerumq; fieri assolet.

§. 5. Hinc ut de factis singularibus & individuificis quoad singulas qualitates & circumstantias judicium ferre possimus; an ad legislatoris mentem congruant nec ne, opus est Jurisprudentiâ, quæ nos promptos reddat jus generaliter positum solerti interpretatione applicare ad casum præsentem. *Vid. Besold. Diff. d. cogn. & usu Jurispr. §. 5. Clariss. Dn. D. Struve, Prof. Jenensis præceptor meus honoratissimus, Exerc. 1. §. 1. & 2.*

§. 6. De hac Juris prudentia, quoniam paucula hinc differere, in ejus naturam penitus introspicere & industriam meam pro modicâ ingenii facultate exercere sententia sedet, operæ pretium

1298.
tium facturus sum, ni in limine statim cadere velim, de juris vocabuli æquivocatione aliquid præmonere.

§. 7. Notabo tamen non omnes significationes, sunt enim plures, sed potiores saltem. Sumiter 1. pro actu & Jussu, qui iusta præcipit. Unde divisio juris in Naturæ, Gentium & Civile. *I. b. t. 2.* Pro habitu, quo principia applicamus, quæ si practica sunt in specie dicitur prudentia. Sive pro arte & doctrina juris. Quo respectu jus & Jurisprudencia synonyma sunt, Celsoq; audit ars æqui & boni. Dicitur autem ars quia præceptis, iisq; finitatis includitur *l. 2. ff. d. I. & I.* & sic in artis formam redigi potuit. Cum enim omne scibile artis & ordinis capax sit, cur hoc Jurisprudentiæ denegandum fuisset. *Dn. D. Philippi Professor Lips. in Diss. de principiis Juris l. 13.*

§. 8. His prælibatis, accingor ad definitionem. Et dico, quod Ars juris sive Jurisprudencia sit Jus generaliter positum ad actiones in civili societate obvenientes applicandi prudentia, ut æquum ab iniquo discernendo justitia in iis servetur. *Nobiliss. Dn. D. Struv. Exerc. 1. l. 3. Sub. D. 1. n. 4.*

§. 9. Sicut quodvis præclarum opus & absolutum à suis fundamentis; Ita & juris perfecta scientia à veris & genuinis principiis proficisci debet. *Heinr. Gebb. in præfat. ad tract. de princ. juris.* Sanè quænam Juris principia sint, ac qualia in ipso artis velut limine Themidis alumnus ut cognoscat, haud parum refert. *Besold diff. de usu & cogn. jurispr.* Non enim talis Jurisprudencia nobis curæ cordiq; est, quæ tantum circa superficiem legum & verborum corticem occupata est, nec quæ absq; solido legum intellectu fori quæstiones & praxin crepat; sed illa quæ tam verba legum, tum vim & potestatem juxta & usum callet. Quæ quia absq; principiis suis esse non potest, ita nemo aliquid laudabile in hac ipsa arte tentare poterit, nisi super principiorum horum accuratiore cognitione scientiam suam superstruxerit.

§. 10. Agedum prius est ut Naturam Jurisprudentiæ à formali ejus ratione, fine, objecto & mediis vobis sistam. His peractis de principiis ejus aliquid videbimus.

§. 11. Jurisprudentiam, utpote disciplinam practicam ex lege methodi analyticæ rectè auspicamur à Fine. Practicæ enim disciplina,

storia.
disciplina, quia finem habent rō agere, finis autem, actionis est principium & extra deliberationem positus *Arist. 2. Eud. 10.* ideo à fine progrediuntur ad media, quibus ste finis obtinetur & in subjectum introduci potest.

§. 12. Finis est vel internus vel Externus: Internus est applicatio Juris ad facta singularia, & Jcti prudentia, quā Jctus est, in legum interpretatione & applicatione consistit. *l. 2. §. 3. §. 13. d. O. 7.* Jctus enim quatenus talis ipse legem non condit, sed conditas & latas accipit. Et Jctus officio suo satisfacit si novit quid sit latum. Non autem requiritur in eo, ut sciat, quare sit latum, an bene sit latum vel non. Ratio est, quia Jurisprudentiæ principia sunt leges; quarum *diol. Politica* probat, & de quibus non est Jcti, quatenus talis disputare: *l. 12. §. 1. qui §. à quibus n. numissi, Besold. in comment. ad ff. l. 1. d. 7. §. 7.* Et alias principia in nulla disciplina, si Metaphysicam excipias, demonstrantur, sed pro veris præsupponuntur. Ex. gr. Jctus de facto interrogatus, rectè respondet, quod fur sit laqueo suffocandus, quia ipsi talis lex est lata; De ratione autem legis interrogatus, cur hoc ita, rectè respondet, hæc ad me non pertinent. *Dn. Conring. in notatis ad Lampad.* Politici verò partes sunt, non saltem legem condere, sed etiam inquirere, an mores Civium adeo effrenes sint, ut non aliter à furto absterri possint, nisi per pœnam hanc satis severam.

§. 13. inde Jctus differt à Judice. Judex enim quia talis leges ad facta ipse non applicat, sed à Jcto applicatas jubendi sua potestate executioni mandat. *Dn. Fransk. exerc. 1. q. 2. n. 10.* Item à Jcto differt advocatus, ad cujus officium pertinet, pro alterius causâ publicè dicere, seu jus partis pandere, meritaq; causarum allegare. *Wes. π. d. procur. n. 2.* Et hæc quidem munera a docendi causâ quoad exercitium & formalem conceptum sunt distincta. Propterea non multiplicantur habitus. Sed quantum habitum concernit, sunt connexa, ut nemo ad unum instructus esse possit, quin simul ad alterum sit idoneus.

§. 14. Finis externus & Ultimatus est Justitia. Quam majestas civilis intendit in legem ferendo, Jctus in interpretando, & Judex in exequendo.

§. 15. Justi-

1430
§. 15. *Justitia est vel Universalis vel particularis. Illa est con-*
nexio seu congeries omnium virtutum quatenus illis respectum
superaddit ad aliud suppositum Hornejus De just. in genere. Hac
est quæ æqualitatem inter partes conservat & bonis & malis ex-
ternis æqualitatem efficit, nec plus nec minus accipit, aut attri-
buit quam debetur Arist. 5. Etb. n.

§. 16. *Ultra Jurisprudentiæ finis sit contentiois ferram u-*
trinque trahunt Dd. Unumquemque sensu suo abundare faciles su-
mus. Nos stabimus à parte eorum, qui particularem pro ejus fine
amplectuntur. Quippe Jurisprudentia illa sibi Justitiã propositã
habet, quæ injuriæ contraria est, adeoque particularis & habitus
respectivus est. Excell. Dn. D. Stevius Præceptor meus singulariter
de venerandus Velit. c. 1. §. 3. n. ni iustitia non est nisi quæ moribus, molet

§. 17. *Commendat & passim & ipsa nostra Jurisprudentia*
virtutum aliarum actiones & obedientiam eam erga omnes le-
ges; Non tamen id principaliter agit, ut hominem virtuosum
sistat, in quo munere Philosophus moralis sudare debet, sed per
cõsequentiã & ratione materiæ, ne iis contemptis justitiæ par-
ticularis finis impediatur. Sic Jctus non decernit de adultero,
quatenus ejus actio fuit vitiosa & contra temperantiæ repagula
prorupta; Sed quatenus per intemperantiam alienum thorum
violavit, familiam falsã prole, Civitatem adulterino, cive com-
plere scelestè intendit.

§. 18. *Dictum fuit in definitione Justitiæ particularis, quod*
illa tribuat, quantum cuique debetur. Debetur autem alicui a-
liquid vel simpliciter, quia proprium ejus dominum, vel aliud
jus in re vel ad rem habet. Vel quia quocumque modo personam
ex facto suo habet obligatam. Altero modo secundum quid,
quatenus sc. res non est propria sua, nisi quatenus est totius, cu-
jus homo pars est. Etenim quæ torius sunt, quodammodo sunt
partium. Dn. D. Habn. ad π. Wes. p. 18. Hinc à diversã debiti
qualitate Justitia alia commutativa, alia Distributiva. Qua-
rum utraq; est Virtus. Hac in rerum communium & publica-
rum distributione: Illa in rerum privatarum commutationi-
bus, contractibus & civium factis in genere versatur, in quibus
homini injuria fieri potest. Ita se hominem gerere utraq; dicti-
tant:

1031
tant: Hæc ne de præmiis; Illa de rebus externis plus sibi vindicent; Hæc de oneribus; Illa de damnis s. pœnis plus alteri relinquat, quàm æquum & justum est. *in quo quod huius b. r. i. b. b. r. e. g. u. l.*
§. 19. Quæ duæ species in eo conveniunt, quod utraq; respiciat debitum aliquomodo, quatenus per eas alicui redditur, quod suum est. Deinde quia utraq; æqualitatem constituit. Differunt verò ut dictum, in diversâ ratione debiti quàm respiciunt. Commutativa propriam & præcisam rei ad rem: Distributiva proportionalitatem remotam respicit, consistentem in aptitudine personæ. *Heinr. Zefius ad tit. de J. & J.* Hinc in Commutativâ talem æqualitatis proportionem deprehendere licet, qualem Mathematici deprehendunt in Arithmeticis; In Distributivâ talem, qualem ipsi demonstrant in arte Geometricâ. *Vid. Hornej. in doct. Civ. in hunc locum.* Porro ut natura cujusq; Justitiæ paulo manifestior sese nobis sistat, in ejus consideratione adhuc paulum immorari pro lubium est. *in quo quod huius b. r. i. b. b. r. e. g. u. l.*

§. 20. Servat itaq; Distributiva æqualitatem circa distributionem rerum, quâ tumcunq; de illis debetur alicui, quatenus membrum societatis est. Et res non aliter Justitiæ hujus objectum constituunt, nisi sunt tribuendæ sub ratione eâ, quod præmia publica sunt, aut imponenda, tanquam onera publica publico civitatis nomine. Ut præmium vel onus, quod ante totius Civitatis commune erat, nunc quisq; suam accipiat partem, quatenus persona sua principalitatem, locum, dignitatem & respectum in Civitate habet, vel quia tale vel tale membrum societatis est, juxta proportionem geometricam, quæ sicut illa non attendit ad æqualitatem differentiarum sed rationum. Ita Justitia hæc in distribuendo unice respectum habet non ad mutuam æqualitatem rerum inter se, sed ad dignitatem & principalitatem personarum quibus aliquid tribuendum. *l. 1. C. de quibus mun. & prest. scilicet exim. l. 1. C. de muneribus patrim. l. 14. C. d. Suscept. Huc spectant certi gradus honorum & officiorum atq; personarum l. 14. §. 1. ff. d. muner. & hon: Contributiones & collectæ quas quis subire tenetur nisi sit excusatus. Dn. D. Hahn. in observ. ad Wesf. p. 22.* Item usus hujus Justitiæ est in productione testium, qui sæpe ultra montes producendi sunt sumtibus producentis.

1032

centis competentibus *l. 11. C. d. testibus*. Sic in illis negociis civilibus ubi res privatorum pluribus communes veniunt distribuendæ, hæc Geom. proportio attenditur. Ut in Contractu Societatis, In *L. Rhodia de jactu*. In concursu Creditorum *l. 6. C. bonor. aut. judic. possid.* In deductione Falcidix *§. 3. I. d. leg. Dn. D. Struve. exerc. 1. §. 21. Grotius L. 1. de I. B. & P. c. 1. n. 8.*

§. 21. Justitia Commutativa servat æqualitatem circa rerum Commutationes & contractus, quantum cuiq; de illis debetur, quatenus privatus est & dirigitur arithmeticâ proportionem. Sicut enim arithmeticæ proportionis hæc natura est, ut simpliciter observet numerorum inter se distantiam; Ita & Justitia Commutativa medium & æqualitatem quærit in sola distantia à lucro & damno, non habitâ ratione qualitatis personæ, sed quantitatis ad quantitatem, quæ commutatur, & si res rei, factum facto, datum reddito congruit, tunc obtinuit, quod debebat. Pro objecto habet commercia & quævis facta moralia, quæ inter singulos & privatos, quotidianâ vitæ consuetudine, intervenire comperimus. Facta *cum Clariss. Dn. D. Thabore in part. Elem. p. 3. §. 3. §. 28.* dist. in licita & illicita.

§. 22. Facta in se licita sunt, quando duo vel plures de re vel facto honesto & legibus non prohibito consensum suum interponunt, eumq; vel expressum, ut in Contractibus, vel præsumptum, ut in quasi contractibus. Et tunc demum omnia justè sunt celebrata, si contrahentes æqualia habent. Quæ æqualitas licet non ubiq; ob incertam rerum æstimationem exactè & ad amissim observetur, Nihil ominus tamen Justitia convivet & modicam læsionem permittit. Partim ne ex nimio servandæ æqualitatis studio contractus semper rescindantur, partim ut contrahentium incuria excussetur, qui quodammodo læsi discant cautius mercari. *l. 2. C. de furtis*. Modo tamen fraus absit, sic enim patitur quis justam negligentix suæ poenam. *l. 203. ff. d. R. I.* Quod si autem dubium nobis occurrat sitne aliqua tolerabilis æqualitas, ita ut sine evidenti læsione nostri animus nostrum in eo acquiescere non possit, Judicis integritatem implorare solemus, & ab eo restitutionem medii petimus, quod sit lucrum plus habenti detrahendo, & minus habenti adjiciendo, ut tandem

B dem

67



1033.

dem pulchra æqualitatis ratio conspiret. *Vid. Hugo Grotius l. 2. d. 7. B. & P. C. 12. de contract. n. 12.*

§. 23. Facta illicita sunt, quicquid Juri fit contrarium, voluntate solius lædentis parte alterâ invitâ (*hinc alias ejus generis facta Aristoteli dicuntur συναλλαγματα ἀκέραια. §. Eth. 7.*) proveniunt, quando quis ob proprium commodum, iram ac libidinem implendam, alium publicè vel privatim lædit, seq; per hoc læso ad pœnam obligat. *l. 25. §. 1. ff. de O. & A.* Hinc notabilis oritur inæqualitas. Lædens constituitur in lucro, quatenus ex gr: effreni suo affectui relictus ulciscendi libidine animum explere voluit, voluptatem sentire & ita plus habere dicitur. Econtra læsus longè inferiori conditione positus est, sensit damnum, ex damno dolorem, & non habet scil. vitam, quam ipsum habere par erat. Cum autem hoc ferendum non sit, Justitia præstò est; ut hæc inæqualitas corrigatur totam rem eâ proportionem, quâ simpliciter mutuam rerum inter se distantiam dirigit, ad æquilibrium revocat: Illi qui plus habet aliquid detrahendo & illi qui minus habet adjiciendo; aut quia hîc vitam amisit, ille eam nunc habet, tantundem ipsi auferendo, cum alias restitutio mediæ obtineri non possit.

§. 24. Quod primò in irrogatione pœnarum attenditur est delictum & pœna *Horn. d. Just. Comm.* Non possumus autem de pœna certi esse num illa delicto æqualis sit nec ne, nisi prius præcedat actus æstimandi delictum. *Dn. Musæus Prof. Jenens. in sing. disp. de h. quest. 8. 18.* Hic actus æstimationis peragitur, si examinatur 1. Causa quæ impulit. 2. Causa quæ retrahere debuit. 3. Personæ idoneitas ad utrumq; *H. Grotius de commun. pœn. l. 2. c. 20. n. 29.* Nota autem, quod persona in materia delictorum significet nihil aliud quàm aliquam circumstantiam & qualitatem, quæ delicti substantiam ejusq; æstimationem ingreditur, illudq; vel exauget vel imminuit. *Dn. D. Habæ. in observ. ad Wes. de I. & I. n. 11.* Porro videndum an ad actus alicujus injustitiam, quæ generalis causa delictorum est, etiam aliud vitium accedat, puta impietas in parentes, in humanitas in propinquos, ingratus animus in beneficos, inobedientia in Superiores, ubi valde augatur delictum & crescit proportio pœnæ, Nam secundum omnes

1034.

omnes circumstantias patricidium gravius est delictum homicidio simplici. Item ad commensurationis actum pertinet, spectare magnitudinem poenae non nudè & abstracte, sed in ordine ad patientem. Quippe eadem poena pauperem onerabit, divitem non onerabit. Et vili ignominia leve erit malum, honorato grave. *Grot. d. l.* Sic suspendium est genus mortis ignominiosissimum & vilissimorum hominum, Ideò propter quod delictum plebejus suspendio enecatur; Nobilis decapitatur. *Berl. p. 1. concl. 44. n. 33.* Nam hæc poena concretivè sumpta ad nobilem, inclusis cæteris malis, æqualis omninò est, & in partem poenae cedit, quod nobili amplius de dignitate decedit. Cum econtra plebejus acerbiori quidem poenae cervicem supponere cogitur, cætera tamen ejus in amittendâ dignitate jactura nulla est aut sanè non multùm æstimabilis.

§. 25. Quod huc usq; de æqualitate delicti & poenae dictum, ita se habet, nisi majestas Civilis uni atq; alteri propter svadentem aliquam circumstantiam, gratiam facere velit, in suis sc. delictis, quibus leges Civ. certam aliquam poenam determinarunt. Ut liberare aliquem à suspendio, poenam aliam in alteram commutare. Quippe magistratus legis auctor, cum posset legem totam tollere (hæc enim natura legis humanæ est ut à voluntate humanæ pendeat non in origine tantum, sed etiam in duratione *Grotius laudato tr. l. 2. c. 20. n. 24.*) Ita & vinculum ejus circa personam aut factum singulare relaxare, manente de cætero lege, ipsum nihil prohibet. *Heig. p. 2. q. 24. n. 50. 56. Gebhard. de principiis juris concl. 5. n. 20.*

§. 26. De fine Jurisprudentiæ hæctenus paulò fufius vidimus; nunc objectum sub styli acumen succedit, in quod Jctus vult operari & finem suum introducere. Objectum autem vel est materiale vel formale. Materiale sunt actiones Civiles s. negocia civ. quæ Theologis atq; Philosophis communes sunt. *Conring. disp. de leg. l. 5.* Formale verò, quod ex fine æstimatur in disciplinis practicis, sunt eadem actiones civ. s. omnia negocia quæ inter homines aguntur, non quæ talia, sed quatenus in iis quæritur, quid justum, quidve injustum, an æqualitas aliqua subsit & qui illa corrigi debeat. *Suth. diff. 1. l. 32.* Sic ex: gr: a-

67



1035.

ger, fundus &c. fiunt objectum Jurisprudentiæ, non quatenus sunt partes terræ materiatae, quantæ, feraces & frugiferae, quæ fortassis consideratio sit Mathematicæ & Physicæ contemplationis; Sed quatenus disceptatur de agri possessione & dominio, cujus jus in re vel ad rem sit potius: & an actio circa rem istam instituta sit legibus conveniens & justa. Cum autem res aliæ sint divinæ, aliæ humanæ. Et sæpe numero etiam de rebus divinis, quatenus eæ scilicet societati civili deserviunt, disceptatio occurrit, quando de ipsarum jure contenditur. Hinc pro diversâ qualitate rerum & causarum, melioris distinctionis ergo, Jurisprudentiam in Ecclesiasticam & Forenses dispertior. Et hoc intellectu verum est, quod Jurisprudentia sit rerum divinarum & humanarum notitia sub dicta formali considerandi ratione. Et quod olim Jcti in Rebusp. Gentilium divini & humani Juris scientiam semper conjunxerint, item quibus diebus, quo ritu atque tempore sacra facienda, quæ sepulchrorum jura, quæ justoram funebrium solemnia &c. consulti responderint *ex Gellio & Tacito refert. Heinr. Zæsius in comment. ad h. t. d. I. & I.*

§. 27. Quia verò objectum hoc Jurisprudentiæ, ut patet non est scientificum, cujus affectiones per causas proximas & adæquatitas inquirendæ veniant; *Sutb. diff. 1. n. 37.* Sed practicum, ideoque in eo contemplando Jctus non immoratur, sed sufficit ipsi cognitio, quali ad finem introducendum opus habet. Quia propter pergitur Media Jurisprudentiæ, per quæ finis ejus obtinetur duo sunt 1. Cognitio juris, quod applicari debet. 2. Modus jam cognitum applicandi seu interpretandi. *D. Hahn. in observ. theor. pract. ad Wes. p. 7.*

§. 28. Juris applicandi cognitio comprehendit tum illud quod in negotiis & causis civilibus justum & cuique; ratione juris in re vel ad rem competit; Tum rationem quâ quisque; sibi competens possit persequi. Prius membrum consistit in eo, ut quis sciat, quoniam sit diversus status personarum, & quid cuique; ratione juris personarum debeatur. 2. Quæ sit diversa distinctio rerum & res ipsæ nunc hanc, nunc istam induant qualitatem, & pro diversa qualitate hæc diversum jus habeant constitutum. 3. Quæ sint naturalia, essentialia & accidentalia cujusque; contractus, & alia
ejus



eius generis. Ad posterius membrum spectat nosse, quæ sit natura actionum, per quas quilibet jus suum, si opus est persequi potest. Vid. Dn. D. Struve Exerc. Feud. 1. de Origine feudi §. 23.

§. 29. Circa modum jus cognitium applicandi hic ordo est attendendus 1. Ut facti speciem, cui jus substerni debet secundum omnes eius circumstantias rimemur. 2. Deinde ut jus secundum verba, mentem & rationem illius ad factum singulare applicemus, Vid. Sultb. diff. 1. apb. 6. 1. Vel per simplicem interpretationem, ut cum Sententia legis cum ipsis verbis manifesta est; & ipse casus ex lege clarè satis haberi potest. 2. Vel per Extensivam, ut quando sensus legis ipsis verbis est laxior & generalior, ut ad casus similes secundum præsumptam voluntatem Legislatoris commodè extendi possit, qui si hodie de præsentis casu interrogari deberet, idem sit responsurus, quod de casibus lege expressis. ut in l. 11. l. 12. l. 13. ff. de ll. 3. Per restrictivam, quando sensus vel ratio legis est angustior & legislator minus voluit, quàm verbis designavit. l. 11. ff. de in jus vocando. l. f. de hered. Inst. 4. Per usualem, quæ interpretatio ex causis perpetuo ita decisus ostendit, quo sensu lex hætenus intellecta & accepta fuerit, ut sunt sententiæ præjudiciales, quæ digito quasi nunc intendunt quomodo porro hoc jus ad casus similes sit applicandum l. 37. 38. ff. d. ll. Sunt & alii modi ad interpretationis usum valde accommodati. De quibus omnino vide Clariss. Dn. D. Hahn in observ. ad Wesf. tit. d. LL. Grot. l. 2. c. 16. de interpretatione d. tr. de J. B. & P.

§. 30. Nunc principia tangenda sunt ex quibus nobilissima scientia nostra exstruitur. Habet autem Jurisprudentia hoc cum aliis disciplinis commune, quod habet principia tum propria, tum assumpta. Propria sunt quæ ipsi soli primò & per se competunt, ut sunt ipsæ leges, tanquam peculiare ejus causæ materiales, ex quibus videlicet Jus præceptiones suas, æquiboniquè rationem omnem promit, elicit, desumit. Gebhard. concl. 5. n. 28. Earum variæ sunt species. Lex Plebiscitum, Sctum, Edicta Prætorum, Constitutiones principum, Responsa prudentum &c. Quarum omnium fontem hinc aperire operæ pretium est.

§. 31. Jus quatenus sumitur pro regula actuum moralium, di-

67



viditur, quod aliud sit Naturale, aliud positivum. Positivum vel est Divinum vel humanum. Humanum vel est commune, quod dicitur jus Gentium, vel proprium, quod dicitur Civile. Quæ divisio à causâ efficiente sumpta est & tradunt eam Grotius, item Clariss. Coring. disp. de jure.

§. 32. Jus Naturæ (de finiente Hugone Grotio *d. tr. c. 1. n. 10.*) est dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia vel disconvenientia cum ipsa naturâ rationali inesse moralem turpitudinem aut moralem necessitatem, ac consequenter ab auctore Naturæ DEO talem actum vel vetari vel præcipi. Ejus fundamentum est ipsa justitia divina. Cum enim DEUS justus est, ita voluit, ut etiam homo, quem ad imaginem suam condidit justitiæ sese attemperaret. Et cum homo debebat esse animal sociale, nihil autem est quod æque societatem destruit, quam injustitia. Itaque ut homo haberet certam vivendi regulam, quam sequatur, nec per vitam cæco impetu feratur, inculpsit & impressit ipsi statim in primò Creationis opere divinam & æternam hanc legem Naturæ. Quæ Lex quamvis per lapsum valde obscurata fuit, tamen submergi & suffocari planè non debuit, sed hodiernum in omnium hominum cordibus scintillæ certæ radiant, ut etiam gentes, si ea, quæ juris Naturæ sunt, non observent, coram DEO non excusabiles sint, ut ex cap. 3. ad Rom. notum est. Hoc jus Naturæ non id habet ut materiam suam, actiones nim. humanas antea indifferentes specificet, in quo alioquin jus Civile occupatum est, sed præcipit ea, quæ in se & intrinsecâ sua qualitate bona sunt, & vetat ea, quæ in se & intrinsecâ sui qualitate mala sunt. *Dn. D. Struve in prælect. publ. ad ff. t. d. J. §. 7.* Hinc est ut ubiq; Gentium eandem ubiq; obtineat vim, nec unquam possit mutari, nedum abrogari ab ullo. Sicut enim ut bis duo, non sint quatuor effici non potest; Ita nec hoc, ut quod intrinsecâ sui ratione malum est, malum non sit. *Grotius c. 1. n. 10. d. 1.* Potest tamen usu venire, ut imago quædam mutationis incautos fallat, non tamen ipsa lex Naturæ mutatur, sed res aut materia circa quam Lex Naturæ quid constituit, incipit mutationem. Exemplum superditant *Conring. disp. de jure, l. 28. & Horn. in prud. civ. d. just. com.*

§. 33. Jus

2038.

§. 33. Jus Naturæ comprehendit vel principia, vel conclusiones. Principia sunt, quorum veritas statim apparet, nec ab ullo rectâ ratione rectè utenti in contradictionem trahi possunt. Ut honestè vivere, Neminem lædere. Suum cuiq; tribuere. Quod tibi vis fieri. Quarum propositionum veritas non debet demonstrari, sed præsupponitur. Conclusiones aliæ promptè & facili discursu à primis principiis eliciuntur. Ut DEUM esse colendum, parentes, magistratus venerandos, furtum non committendum. Quibus conclusionibus, quia principiis primis admodum propinquæ sunt, facile etiam assentimur. Ut quamprimum puer saltem intelligit terminos simplices, scil. quid sit pater, quid sit honorare, statim componit conceptum, quod parentes honorare, honestas nos obliget. Horn. d. Just. Aliæ difficilius & ferè à doctis tantùm deducuntur, quia à primis principiis paulò remotiora sunt. Ut pecuniam mutuo sumptam restituere non tantum in bonitate externa, sed etiam intrinsecâ. *Coring. disp. de legibus.*

§. 34. Jus Divinum est, quod DEUS ter optimus maximus pro liberrimo suo arbitratu, vel universo humano generi vel unâ alicui populo dedit profitivè, ut tum justum vel jure debitum sit, quia DEUS sic voluit. *Vid. Grotius c. 1. n. 15. & n. 16.* Cujus divinam materiam ejusq; doctrinam à foro ad Theologorum scholam remittimus.

§. 35. Jus Gentium est, quod ratiocinatio humana statu humanæ conditionis sic exigent, ead societatis civilis conservacionem generaliter constituit. *Dn. D. Struv. Exerc. 1. §. 31.* Cum enim genus humanum indies sese multiplicaret, ut una Civitas innumeram multitudinem non potuerit capere, homines in diversas republicas sunt digesti. Unde regna sunt condita. Et quia postea in singula rep. fastus & injustitia civium indies excresceret, nec homines contenti essent amplius vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut ferarum pellibus vestito, exquisitius vitæ genus elegissent, industriâ opus fuit, quam singuli rebus singulis adhiberent *Grotius l. 3. c. 2. n. 2.* Hinc ne necesse haberent, quotidie jurgiis & controversiis, quæ ex communiore bonorum oriri solent, inter se conflagere, placuit

67



1039.

euit gentibus commune omnium patrimonium (quod natura indeterminatum reliquerat, nec ulli proprietatem alicujus rei specialem assignaverat *Dn. Struv. Exerc. Feud. 1. de orig. Feud. tb. 4*) in singula dominia distribuere, agris limites certos ponere, & ita à communione discedere. *Vid. Grotius l. 2. c. 2. n. 2*, Ut autem genus humanum in ipsa factâ discessione & separatione moralem quandam societatem inter se foveret, sapientissimè Sapientissimus constituit DEUS, ut quamvis unaquæq; civitas, in se perfecta sit, suis constans membris, tamen voluit, ne omnis tellus omnia ferat, sed ut gentes mutuo juvamine, societate & communicatione indigerent, hinc ceperunt inter se certarum rerum commutationes instituire. Unde contractus suam originem habent.

§. 36. Rerum divisione ita introductâ vix fieri potuit, quin lites orirentur & homines sibi invicem de jure in re vel ad rem controversiam moverent. Hinc ne quilibet evaginato gladio sibi ipsi jus diceret & quia homines nimium sui amantes sunt & in rebus suis suorumq; affectu corumpuntur. *Grotius t. 2. c. 20. n. 8.* honestius & ad quietem hominum conducibilius visum fuit, ei cui nihil intersit, rem cognoscendam dirimendamq; committere. Unde judicorum vigor inventus est *l. null. C. d. Judais l. 13. ff. quod metus causa*. Quod si verò lites emergebant inter gentes separatas, quæ quia communem Judicem non recognoscunt, ad bella provocarunt, Martem pro arbitro, & controversiam per victoriam, tanquam decretoriâ sententiam dirimere placuit. Unde bella sunt orta, quæ juris Gentium sunt 1. quatenus sunt modus exigendi, quod nobis debetur. 2. Quatenus certa bellorum forma, certiq; effectus hoc jure introducti sunt; ut quod bello capta, fiant capientis, quod victus victori servire debeat. Hoc Jus Gentium fundatur in ipsa communi necessitate. Quamvis enim rei ipsius Naturæ non repugnet, rem aliter se habere; Ratio tamen naturalis, vi naturalis discursus determinationem hujus juris omni homini, rectâ ratione utenti & communem necessitatem respicienti præscribit *Dn. D. Struv. in prælect. publ. ad t. de J. & J. ff.*

§. 37. Jus Civile est, quod quælibet Civitas sibi constituit §. 2.
I. de

Hoc jus determinat merè arbitraria, & fundatur in voluntate solius Civilis majestatis, quæ pro moribus civium & conditione reip. juri Naturæ arctioris honestatis causa aliquid superaddit. *Prima quidem agendorum regula à DE O est hominibus præscripta. Novos casus, si quando emergerent, principes primò familiarum, deinde Reges ad se delatos, ut videbatur, decidebant. Cl. Conring. disp. de LL. l. 21.* Postea cum crescentibus negotiis, crescente etiam hominum malitiâ operosum nimis esset, singulis ita negociis quasi singula jura condere, nova tamen indies, sine quorum arbitrariâ determinatione rectè & commodè vita humana institui nequiret occurebant, scribi demum in rep. humanae leges cæperunt. Nam quia Jus Naturale est simplex, & paucis præceptis contentum, nec omnibus humanis negociis ob corruptos hominum affectus sufficere potest; Ideò jus Civ. naturales notitias latius extendit, format, & applicat ad humanas functiones. *Vid. Dn. D. Hahn. in observ. ad Wesf. p. 55.*

§. 38. Sic Jure Naturæ matrimonium solo consensu contractentium ratum est, nec aliquid ulterius pro ejus complemento & ulteriori perfectione requirere videtur. Attamen jus Civ. arctioris honestatis causâ illud ad certos gradus inter cognatos circumscripsit, addidit ipsi benedictionem Sacerdotalem & ejusmodi solennitates Canonicas; Ut si quis eas non observet, actus quidem non fit prorsus omnino nullus, peccat tamen is, qui ea negligit. *Dn. D. Struv. Exerc. 23. th. 23.* Sic Juri Naturæ conveniens est, ne delicta maneant impunita, quâ autem poenâ quodlibet delictum coerceri debeat, à Naturâ determinatum non est, sed jus Civ. uni eidemq; delicto, nunc hanc, nunc illam poenam specificè dicitat, prout ex usu Reip. & moribus civium esse videtur. Sic Testamentum, quatenus est nuda de bonis ordinatio, ex jure Gentium est, nec ullis solennitatibus est adstrictum, sed de hoc jure statim duorum testimonio ratum est. Ratio est, quia hoc jus sinceritatem hominum præsupponit. At quia dies nunc docet, quod in ejusmodi actibus non rarò dolus & fraus obrepere soleat, ideò ad præcludendam omnem falsitatis suspicionem Jus Civ. testamento certa requisita addidit, quæ pro formâ observari præcipit, adeò, qui solennitates istas testa-

mentarias negligit, non quidem peccat, celebrat tamen actum, ipso jure nullum.

§. 39. Leges Civiles hunc effectum habent, ut quamprimum sanciantur, unumquemque corpori civitatis illius addictum obligent. Sancitur Lex, quando vis obligandi ei tribuitur, ab eo, penes quem summa potestas est. Et quia Lex debet esse regula aliqua, secundum quam vivatur, nota iis sit oportet, quibus praescribitur. Atque hoc adeo necessarium est, ut promulgatio ista essentiam legis suo concursu complere dicatur *Thomae 1. 2. q. 90. art. 2.* Obligatio autem legum Civ. principem ipsum non potest constringere. Leges enim proficiscuntur à dispositione sua, & dependent ab ipso non tantum in origine, sed etiam in duratione *Grotius l. 2. c. 20. §. 24.* ut semper sit in ejus potestate, tollere eas vel mutare. Sic condere testamentum sine omni solennitate, contrahere matrimonium in *2. gr. lin. coll. ad 3.* nihil est quod principem remoretur. Potest enim hanc solennitatem respectu testamenti, hanc observationem respectu matrimonii, dicto gr. jure Civ. prohibiti, cuivis privato remittere. Ergo & ipse solutus erit. Verum quoad actus quos privatus celebrat ita, ut inde aliquid percipiat, non quidem potest eogi, princeps, ut observet tales leges; Quia nemo ipso in terris est superior, violentia praesupponit principium externum, cogens & coactum distinctas requirunt Personas, & punitio & coactio non possunt procedere nisi à voluntatibus diversis. *Grot. l. 2. c. 14. §. 2.* sed tamen injustè agit non observando. Quò respiciunt *l. 3. C. de test. §. ult. l. quibus modis test. instr. l. 4. C. de ll.* Non autem solutus est Rex 1. Jure Naturali Ratio est, quia quicquid humanum est Juri Naturæ succumbit. Jam etiam Rex sub ambitu humani generis coarctatur. 2. Neque jure Gentium. Ratio est, quia omnis, qui vivit in aliqua societate, obstrictus est ad observantiam illius juris seu consuetudinum, quæ à Sociis omnibus, vel majore eorum parte consensu expresso vel tacito sunt introductæ. Jam autem Gentes omnes in generali latitudine sumptæ, habent se tanquam magna quædam Societas, cujus pars & membrum quilibet Rex est. Ergo non potest id, quod hactenus omnibus sociis placuit, privato ausu convellere & temerare.

merare. Nisi velit delinquere & per delictum Sociis jus in se dare ad puniendum *Grot. l. 2. c. 20. §. 22.* 3. Neq; legibus fundamentalibus. Ratio est, quia hæ leges præscribuntur per modum pacti & conventionis. Pacta autem jure Gentium obligant. Deinde per leges fundamentales Rex est id, quod est, quas si violat, se ipsum destruit, quia tota ejus majestas hisce legibus tanquam fundamento est superstructa.

§. 40. Ratione modi ferendi Jus dividitur in scriptum & non scriptum, seu consuetudinarium. Utrumq; jus ab uno autore promanare debet; tantum in eo est differentia posita; quod illud expressâ voluntate; Hoc tacito consensu principis, seu populi, si penes eum est summa & architectonica potestas, introducatur. Non enim Consuetudo ideò vim legis nanciscitur, quod privatis quibusdam placuit, hoc vel illo modo contra legem scriptam agere, sed quia ex multiplicatis actibus colligitur scientia principis & præsumitur ejus voluntas, ut velit hanc ipsam consuetudinem pro lege nova observari. *Excell. Dn. D. Sueri. Resol. quæst. illustr. Dec. 1. q. 10.* Freqventes enim illi actus, qui consuetudinem præcedunt, tantum sunt materia legis, quæ lex tum demum à patientia & quasi tacito jussu majestatis Esse & formam suam accipit. Quia autem Consuetudo respectu introductionis & prout materialiter sumitur pro facto plurium hominum, facti est *c. 1. Const. in 6.* Facta autem non præsumuntur *l. 2. ff. de I. & F. ignor.* ideò is qui super consuetudine intentionem suam fundat, probare eam debet, secundum certa sua requisita, de quibus *Myns. 6. Observ. 41. Gail. 2. Obs. 31. Carpz. p. 2. c. 3. d. 22.*

§. 41. Principia adscititia sunt, quæ ex aliis disciplinis adsumuntur, ad æqui boniq; rationem firmandam & ad penitiolem legum intellectum capiendum Jurisprudentiæ accommodantur. *Gebb. de princ. juris concl. 3.* Genera ipsorum tot prope sunt quot artium ipsarum. Quippe nulla ferme disciplina est, quæ nobilissimæ scientiæ nostræ aliquid suppeditare, eamq; locupletare dedignetur. Et quàm diligens præparatio, aliarumq; scientiarum adminicula huic necessaria sint, hoc sciunt, qui in-

1043.

Themidis regno clavum tenent, qui quod acutius cernant luscioso cæterorum Dupundiorum grege (sic Besold loqui amat) hoc à Philosophiæ se jubare nactos esse, ultro ipsi fatentur. Quod enim Jctus aptè possit concludere, pro artis usu definire, dividere, argumenta sua ex variis locis topicis invenire & ducere &c. hoc ipsum Logicæ acceptum ferre debet. Quàm multa ingeniosa axiomata & Regulæ juris, quæ metaphysicam sapiunt subtilitatem, sparsim occurrunt, quæ nec solidè & dextrè explicari possunt, nisi Methaphysicæ peritia quis sit instructus. Cur tempus non si modus obligationis tollendæ vel constituendæ, l. 44. §. 1. ff. V. O. Cur ille qui in alienam materiam novam formam inducit, si sc. ad priorem rudem revertere non possit, dominium in hac ipsa re ex titulo specificationis acquirat l. 7. §. 7. l. 24. ff. de acq. rer. dem.: Quod partus septimo mense natus pro legitimo habendus sit, l. 12. ff. de statu homin. An mulier factum primis mensibus abigens homicidium committat, & ordinariâ pœna affligenda sit. Hæc & sanè multa ex principiis physicis hauriuntur. Jctus non potest de delicto rectè quid sentire, eiq; æquivalentem pœnam statuere, nisi ex philosophia practicâ addiscat, quæ nam sint principia actionum humanarum, quæ actio sit invita, quæ spontanea, quæ ex ignorantia proficiscatur. Cur obligatio vi & metûs causâ inita jure Civ. quidem subsistat, prætor autem restitutionis remedium promittat. Quod pupillum consilii innocentia tueatur, furiosum verò fati infelicitas excuset, l. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar. Quod errantis nulla sit voluntas l. 20. ff. de aqua pluv. arc. Item cur mulier, quando poculum amatorium miscendo & propinando alteri vitam aufert, ordinariæ pœnæ L. Corn. de Sicar. non succumbat, sed aliâ extraordinariâ furibundum amorem expiare cogatur. Hæc & plures alias momentosas controversias cordatus Jctus ex fundamentis Ethicis extricabit, componetq;.

§. 42. Quàm spatiosissimus sese mihi hîc patefaceret campus, excurrere & quæ plura dicenda essent, copiosè differere; Verrum metuo, ut diffusio rem tractandi materiam in angustias paucarum harum pagellarum includere possim. Sudarunt in hæc palæ-

1889

palāstra Viri eruditi, Ehemius & novissimè Heinrichus Gebhardus in tractatibus, quos conscripserunt de principiis Juris. Qvò cupidum Jurium Studiosum remitto.

Theses quædam adjectæ.

I.

Suspensum furibus destinatum, non pugnat cum Justitia Commutativa. Quippe aestimatio delicti & proportio ad pœnam non nudè sumitur ab objecto & materia delicti, quæ potest esse res temporalis & aliud bonum fortuna; Sed in Ordine ad societatem Civ. quomodo ejus incolumitas & inturbata tranquillitas conservari possit. In hunc enim finem humanum genus in societate coaluit ut beatè vivere liceret. Cum a. nihil aqvè post introducta rerū dominia Societatem Civ. disturbet, quàm violentia & furandi pravitas; Hinc summa in rep. majestas tanquam custos Civilis Societatis rectè facit, si unicuiq; delicto talè destinat pœnam, quæ ad finem obtinendum proportionata & accommodata sit. Si enim Civium mores adeò depravati sunt, ut dupli vel quadrupli redditione à furandi libidine deterreri non possint, talis pœna utiq; nondum proportionata erit. E. alia severior assumenda est, licet ea extendi debeat usq; ad vitæ supplicium. Facit mecum Suth. Diss. ad Inst. Juris D. 16. th. 37.

2. Qui hominem divitem de paupertate diffamavit, vel cum inopem sive mendicum vocavit, injuriarum tenetur.

3. Actio etiam debitore invito cedi & transferri potest, nec ad transferendam eam consensus ejus desideratur. Per l. 3. C. de hæred. vel act. vend.

4. Qui pro alio constituit, quando convenitur, gaudet bene

C 2

67



beneficio excussionis, arg. N. 4. c. 1. l. f. C. de const. pec. Ratio est, quia in constituto semper fit relatio ad aliam obligationem. Nisi animo novandi constituerit & expromissor factus sit. arg. l. 18. ff. h. t. Gail. 2. obs. 28. Expromissio autem facta non censetur nisi disertis verbis novatio inter- venerit. l. f. C. de Novat. Carpz. p. 2. c. 18. d. 2.

5.
Res subjecta est Jurisdictioni ejus territorii, in quo est sita. Unde fundatur etiam competentia fori, ut si res actione reali petatur, Possessor ipse, licet non sit subditus, licet non sit praesens, teneatur tamen illam in loco eo defendere & respondere, non aliam obrationem, quam propter relatio- nem, quam habet ad rem possessam. Quae relatio facit, ut possessor eundem judicem cum re ipsa recognoscere habeat ne- cessum. Hinc nec cleri actione reali conventus fori ex- ceptionem declinatoriam opponere potest, quia non tam per- sona, quam res ipsa convenitur. l. fin. C. ubi in rem actio. Vid. Gail. 1. obs. 37. n. 4.

Ex Jure Consistoriali.

6.

Quae Constitutiones & statuta communi consensu sanctis- simorum Episcoporum in Ecclesiam sunt introducta, conve- nientiam & comparationem habent cum Jure Gentium: Si- cut autem ab iis, quae sunt Juris G. non temerè discedendum est, ita nec debemus temerè aliquid constituere, quod anti- quis constitutionibus Ecclesiasticis, tanquam communi Juri Gentium Christianarum repugnet.

7.

Quando quis emit subsellium in templo, nihil praeter- quam nudus usus & commoditas possidendi per titulum one- rosum in eum transfertur. Hinc quia usus est aliquid per- sana-

149.6.
sonalissimum, simul cum persona extinguitur. Ex quo fun-
damento patet, quod ejusmodi possessor, tale subsellium ad
heredem non transmittat, nec quando domicilium mutat &
ex parochia migrat per venditionem in alium transferre pos-
sit. Nihil omnibus in eorum redemptione proximi Consangui-
nei jure protimos gaudent. Carpz. Jurispr. Consist.

Ex Jure publ.

8.

Mirum videtur, quod cum Rex Bohemia status Imp-
rii sit, non tamen admittatur ad comitia.

9.

Sede Archiepiscopali Moguntina vacante, capitulum
voeatur quidem ad comitia, ad electionem Caesaris non
vocatur.

10.

Superioritas territorialis non est formalis & majesta-
tica, sed magistratica & dependens.

11.

Cesarea majestas concurrentiam habet cum superiori-
tate Statuum.

12.

De quibus causis non potest judicare Camera Imperialis:
De iisdem nec judicant Austregæ. Ergo nec de criminalibus
earum jurisdictio est.

Ex Jure Feudali.

13.

Feudum Emptum, est feudum proprium. Neq; debet ad
classem Impropriorum referri. Quippe gratuitum esse, neq;
est feudi essentielle constitutum, neq; naturale consecuti-
vum, sed contractus Emptionis venditionis pertinet ad actum
promissionis vel ad modum constituendi.

14. An.

14.
An pater filium exheredans in allodialibus, simul ex-
cludere possit eum à feudali successione? Resp. si Feudum sit
novum, concedo. Secus si sit Feudum antiquum, ubi non ob-
stante exheredatione, filius jus à primo acquirente jam qua-
situm in succedendo amplecti potest.

15.
Valet Investitura de feudi caducitate terti facta,
etiamsi vasallus possessor non consenserit 2. F. 35. Modò
tale sit feudum quod vasallo mortuo ad Dominiū sit rever-
surum, sive etiam quocunq; modo Domino fiat
apertum. 2. F. 26. §. mo-
ribus.

F I N I S.




WITTENBERG, Diss. 1652

ULB Halle

3


002 716 461




TA 30L

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

ridica

irispri-
ine, obiecto,

DEO
ctorum Ordine

DIO
ni, Consultissimi
ssimi

STRAUCHII,
rimi, Supremi Appella-
eque; Anhaltinae Consiliarii,
ecclesiastici, nec non Scabi-
& Facultatis Juridicae
ssimi,
ceptoris sui omni obser-
tu de venerandi placide
tioni sistit
debergâ Misnicus, Author.
Maji horis matut.

RGÆ,
IUM FINGELIUM,

LII.

1034

1652 M

15

17

3

27

32.

